

2801

H O M I L E T I C I.

2802

eandem fidem operamque *Friderico* addicit. Dein Librum a se editum et *Alberto* destinatum promittit, quo omnia que cum *Grecis* (Florentiae) religiosissime gesta, tractata, disputata, ac conuenta, conclusa firmatae sunt, adscripserim, nullo addito uel diminuto ex hijs que a die prima, qua aduenerunt, usque ad diem recessus egerunt. Quo loco adducor, ut credam eum esse *Andream de Sancta Cruce* Patritium Rom. et apostolici consistorii Advocatum, cuius *Disputationes* seu *Collationes inter Latinos et Graecos in Gen. Concilio Flor. habitae* e *Cod. Vatic.* eruit *Horat. Iustinianus*. Habentur illae *Colleg. Labb. Concc. T. XVIII.* edit. *Venet. col. 915.* conscriptae in modum *Dialogi* inter *Ludov. Pontanum* protonot. apost. et ipsum *Autorem*, qui porro in *epistola* sua *Fridericum* ad protegendam Sedem apostolicam exemplo *Sigismundi* Imp. et *Philippi Burgundiae Ducis* hortatur. Addit: *Nunc christianissimus Rex francie* (in *Conventu Bituric. 1440.*) *detestatus est nephandissimorum virorum, qui Basilee fuerunt, conatus ac S. D. Eugenio pape obedientiam puram se prestatum nuncijs declaravit. Taceo reges Castelle et hispaniarum et portugalie et Anglie et Scocie, qui ut principes christianissimi nunquam a petri sede ac a Romano pontifice hijs in scandalis deuiarunt &c.* Dein contrarium sentientes describit. *Epistola* nota temporis caret.

XXXVI. fol. 309. Variis demum Libellorum supplicum for-

mulis in caussis Privatorum *Codex* terminatur, quem ab *Homine Germano*, sed in *Italia*, conscriptum autumo.

DCCLXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. ²¹² XV. Folior. nunc 154. f. maximam partem per duas columnas scriptus sequentibus constat: I. rubro: *Incipit optimus tractatus de ymagine dei et hominis.* Impressit *Tractatum* hunc *Fridericus Creussner Norimbergae 1480.* sub titulo: *Collecta magistralia per aduentum domini de formatione hominis moralis f. constantem XVI. Sermonibus*, quorum singulis thema est: *Faciamus hominem ad ymaginem et similitudinem nostram &c.* quique de natura et membris hominis ex ordine physice et moraliter differunt. *Codex* noster in *Serm. XIV.* ante medium in iis verbis: *tota ipsa temptatio debet appellari Ergo* — deficit. *Autorem* horum *Sermonum* olim in *Memorab. Bibl. Garell.* germanice editis *Viennae 1780.* p. 80. 4. dixi *Robertum Caraczolum de Litio* e *Franciscano Sodali Episcopum Aquinatem* et famosum aetate sua oratorem sacrum cum, quod ii cum aliis hujus viri *Sermonibus* eodem typo expressis eodem continerentur volumine, ut etiam observavit *Röderus* in *Catal. Editt. Norimb. Sec. XV.* tum, quod eos post *Guil. Caveum Vol. II. Hist. lit.* p. 197. etiam a *Maittaire* viderem *Roberto* tribui. Nunc vero rem in medio

T 3

medio

2803

C O D I C E S

2804

medio relinquam, partim, quia nec proponendi modus, nec dictio *Robertum* prodere videtur, partim, quia de his Sermonibus filent, qui illius opera enumeravere.

II. fol. 50. rubro: *Incipit tractatus super Ave maria editus a fratre Augustino de Ancona magistro theologie fratrum Heremitarum sancti Augustini.* Initium: *Quatuor mihi timorem ac tremorem faciunt loqui de virgine gloriosa &c.* Finitur *Tractatus* hic fol. 81. p. 2. et statim absque novo titulo consequitur *Tractatus* ejusdem *Augustini* cognomine *Triumphus de Ancona Super Missus est* hoc initio: *Que cum audisset &c.* Postquam *evangelista* posuit *personae salutantis conditionem &c.* Uterque frequentius lucem vidit, puta *Lugd.* 1506. *Romae* 1590 et 92. *Matriti* 1648. ut habes in *Fabricii Bibl. med. et. inf. Lat. L. I.* et *Ossingeri Bibl. August* p. 45.

III. fol. 107. Farrago Notandorum de diversis materiis dogmaticis et asceticis: v. g. de *Incarnatione*, *Iudicio extremo*, *Anima humana &c.* Initium absque titulo est: *Notandum est, quod christus in hunc mundum in carne veniens venit cum octo singularibus privilegiis &c.* Compilatorem e *Franciscana* fuisse familia probat fol. 110. p. 1. *vexillator ille seraphicus franciscus pater noster quem vidit Joannes in apoc. 7. ab ortu solis habentem signum dei viui quia sacris stigmatibus in manibus et pedibus et latere signatus in mun-*

do gerens habitum per omnia quasi cruci simillimum. In fine quaedam deficiunt.

DCCLXV.

Codex chartaceus germ. Sec. 276 XV. Folior. 318. f. per duas columnas luculente scriptus continet *Sermones* CXLIX. non eos, quos post alios commemorat *Fabricius in Bibl. med. et inf. Lat. L. II.* p. 240. de *Tempore et Sanctis*, sed mixtos de diversis morum materiis et SS. laude Fratris *Bertholdi de Ratisbona* O. M. celeberrimi aevo suo Verbi Dei per *Sueviam*, *Bavariam* et *Austriam* Praeconis, qui obiit anno 1272. XIX. kal. Ian. ut ejus Epitaphium in *Conventu Ratisbon.* quod apud *Andream Presb. Ratisbon.* in *Cronico, Ambergae* 1602. p. 205. 4. praesto est, testatur. Plurima de hoc Viro congescit *Oudinus T. III. col. 443.* quem, si lubet, adi. Nos Codicem describemus. Possessor, et, ut videtur, exarator ejus fuit *Jobannes Hofkircher*, a quo Comites hujus nominis in *Austria* deinceps genus duxere, quorum Insigne gentilitium anteriori thecae adpietum est, addito nomine *Hanns Hofkircher &c.* Fol 1. p. adverfa legitur: *Hin ist bin, quod Viri symbolum fuisse putem, Hie heb ich das puch an In dem namen gotcz vnd der heiligen Iunckfraunn maria vnd heiligen driualltikait vnd ist angehebt wardnn an Mantag nach sannd vallentin an anno domini M° CCCC XLIIII Iar got geb das ich es also vollennd durch*